

DE
OFFICIIS
CIRCA
GRAVIDAS

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO POLITICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMO-
RUM D. D. PROFESSORUM

IN ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE PESTINENSI

PRO OBTINENDO

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

ADOLPHUS SKOTAK

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.

In Theses adnexas publicae disputabitur in Universitatis
Palatio majori die Mensis 1836.

PESTINI,

Typis JOSEPHI BEIMEL.

Seinen verehrten

Schwägern

MICH. v. GARTTNER,



LAUR. v. OSWALD,

Zum Pfande

der wahren

Freundschaft und Liebe

Der Verfasser.

§. 1.

Omnia circa Gravidas officia triplex constituunt genus. Primum eorum incumbit Reipublicae, alterum obstringit Medicos, tertium denique Gravidas ipsas.

§. 2.

Respublica Gravidas ab injuriis omnibus tueatur oportet; incrementum enim populi, in cuius studio sumnum Civitatis principium situm est, aliter digne promoveri nequit. Idcirco illa dictabit leges, quarum vi omnes et singuli stringentur in gravidas certis moribus duci, et qui reniterentur, hos poemam luere jubebit.

§. 3.

Itaque curet Respublica, ut gravidis honor suus, et protectio sua undique tribuatur. — Nam inter amplexus amoris conjugalis, primum germen, e quo futurus homo olim evolvetur, in sinum suum recipiunt, i. e. concipiunt, gravidae siunt. Hoc in statu supremum suae vocationis in hac vita culmen attin- gunt, atque parvum referunt mundum, in quo novus iterum homo creatur, et illustris Creatori gloria re- lucet. Illae praecavent, ne genus humanum fame, bellis, et peste in perniciem abripiatur, illae speciem suam perrenni ratione conservant. Hanc dignitatem gravidarum jam Prisci suo valore condecoraverunt; nam antiquissimi aevi Historia jam jura quaedam, et

privilegia, quae iis tribui solebant, memoriae posterorum tradit. Ita Hebraei contra Moysis legem faeminis Gravidis, dum nimium adpeterent, carne suilla vescendi jus tribuere. Primi Persiae Reges iis numum aureum duplicem in signum praemii tradi jussérunt. Aegyptiis lege sancitum erat, ne Gravidae, poena mortis dignae, ad hanc prius damnentur, quam partum enixaerint; ne sic integer vitae, scelerisque purus, quem gerebant, fructus in interium ruat. Athenienses gravissimorum scelerum reas per Asylum apud gravidas quaesitum salvas fieri admiserunt, et supremum eorum tribunal, Areopagus, lege vetuit, ne gravidae, etsi homicidium patrarent, ante partum vita privarentur. Ipsa Roma, terrarum domina, Orbis Dea summum honorem Gravidis impertita est; quippe ab ea lege, cuius virtute nemo senatum, ejusque membra in viis libere praeterire audebat, una cum suis maritis penitus immunes erant; neque subjici inquisitionibus, neque testes agere, neque jurare, neque exilio puniri poterant; Sacrae litterae grandem poenam dictant omnibus, qui gravidae quanicumque demum laesionem intulerint. Apud Theutones nunquam poena adfectae; et tempore belli suis rebus privari, aut violente tractari non audebant. Etiam sequentium seculorum, et aevi nostri exempla pro reverentia earundem pugnant. Sic legibus Gallicis omnis inquisitio Criminalis apud gravidas velita est, hae quoque, quibus extra legale matrimonium graviditas contingit, neque Judici patrem gestae prolis pandere tenentur. Et Romano Catholicae in orbe universo juribus aegram gaudent, a jejunis, a genusflexione sub cultu Divino penitus exemptae. In Regno Hungariae yigore Part. 2. Tit. 27., qua testes, juramentum corporale nunquam praestant; sed solum ad felicem

partus exitum jurare tenentur. Bellica statuta pro Belgis omnem, qui Gravidae verber inferret, aut inferre vellet, sine pecunia, et litteris dimitti, et poena arbitraria multari jubent.

§. 4.

Haec igitur, aliaque similia, quamquam honorem et protectionem gravidarum vindicent, ad plenam tamen eorum dignitatem minime sufficiunt, nam fructus, quos ferunt, pericula, quibus exponuntur, miseriae, quibus premuntur, longe graviora sunt, quam ut iis recensiti favores adprime respondeant. Severae igitur ubique ferantur leges contra omnes in eas injurios, praecipue contra percussores ventris, qui ens inocuum facile necare possunt. Verba etiam acria in illas explosa severe vindicentur, nam his quoque ira, terror, tristitia produci, his iterum innumera mala, matri, et proli gestae insidias mollientia excitari solent. Praeluceat Respublica verbo et exemplo Civibus universis, ut in periculo constitutas consolentur, juvent, et quibus fortuna mediorum vitae minus favet, has pro viribus suis, auxilio debito fulcire, non intermittent. Ita siet, ut, quod in decus, et emolumentum generis humani gerunt onus, idem tantisper amoenius redi, et quadam suavitate ac praemio adfici videatur.

§. 5.

Sed et respectu sociali circa grave hac objectum debitos fieri oportet Ordines: placide recipiantur et commodius in conventibus publicis eis cedatur locus. Nam primis graviditatis mensibus novam incipit vivere uterus vitam. Fluxus menstruus intercipitur, uteri energia ad perficiendum fructum

exaltatur; turbasque tam in partibus vicinis, quam
de corpore universo ciet varias, hinc variae surgunt
mutationes; notae sunt gravidarum vomituritiones,
animi deliquia, spasmi, quae phoenomoena, si in locis
publicis erumpant, neque ea commode perferre,
neque locum suum deserere possunt, multa cohorte
cinctae, id est, minus commode locatae. Tardius
autem, dum uterus altius extollitur, et prominet
venter, pressio hujus violenta, ingentia post se
damna non trahere non potest; sic enim fit, ut in-
flammatio ulti oriatur, ut placenta solvatur, fluxus
erumpat, et ita foetus, matrisque simul saepius impro-
vido modo vita in perniciem abripi debeat.

§. 6.

Non tantum mechanicae ejusmodi potentiae
nocentes, verum dynamicae quoque Gravidis et
foetui suas infligunt noxas. Idcirco Ordines Rei-
publicae eo quoque tendant, oportet: ne seu pu-
blicis, seu privatis terreficiis spectaculis interesse
ausint. — Exempla loquuntur funestos terroris ef-
fectus, quo factum est, ut perculis prius nervis
matris, uterique subita contractione oborta ipse
foetus non raro expulsus, et qui expelli non poterat,
futurae vitae suaे tristi stigmata notatus existeret.
An connatae Nevroses, ut Epilepsia, Convulsiones,
non e hoc frequenti fonte suam sibi vindicent cau-
sam? an matres, quas terror subitus perculit ipsae
morbum medelis amplius flecti nescium, non ex
eodem fonte jam toties repelierant? an matris,
foetusque interitus non inde velociter jam secutus
fuérit? L. B. van Svieten intra duodecim horas vidi
matrem, foetumque mori ob orlum incendium. —
Gravia haec sunt et profecto adtentione omni plus-

quam digna. Unde dum funes scanduntur, dum gladiis
dimicatur, dum saltus e sublimi fiunt, verbo dum
artes, quae fortem animum etiam in motum concitare
valent exercentur, aut dum rei supliciis adficiuntur,
dum incendia oriuntur, aditus, adspectusque ubi
sieri possit, gravidis non pateat; sic enim animi de-
liquia, dolores, et quae ex terrore profluunt mala,
provide praevertentur. Ha de re Jus Borussicum
salubriter disponit, dum vetat, ne quis coram Gravida
id agere praesumat, quod animum ejus commovere
possit.

§. 7.

Dum a dictis spectaculis arcentur, videndum est
una, ut Objecta terrifia quoque privatis coerceantur
aedibus. — Huc imagines pietae, aut sculptae
monstra referentes, huc omnes charactere monstro-
rum notati, huc mutilati, laesi, syncoptici, et epile-
ptici censeri merentur. — Jam Lycurgi Legibus sa-
bilitum fuit, ut monstra nata in dissitas regiones de-
ferantur, ne intulit eorum gravidis noxas inferat;
et Fridericus 4. Rex Danorum Xenodochium erigi cu-
ravit pro iis, qui sua deformi compage sociis homini-
bus, et praecipue gravidis terrorem incussuri vide-
bantur. Et sane quamquam sint, qui influxum ima-
ginationis matris in foetum, aut rident, aut acrius
negant: facta tamen, et fides virorum dignissimorum,
sua pro eodem porrigunt argumenta. C. L. B. van
Swieten, sed et Boerhavius multa hanc in rem scriptis
prodidere suis, — et Haenius Viennae de Cathedra suis
Auditoribus publice retulit foetum foeminae gravidae,
quae viso militis cranio per socium in rixa dedolato
ipsa infantem cerebro dedolato et sanguine adluto in
lucem edidit. — Hebenstreit Lipsiis Gravidam ipse

vidit, dum hominem artibus inferioribus orbum intueretur, et post haec eodem vitio affectum peperit infantem. — Aedes cuiusdam Principis Siculi referiae sunt Statuis ad monstrarum formam fictis adeo, ut publice spectari soleant, quas dum gravida frequenter in visit, mera parit monstra. Sed etsi ratio horum naturae phoenomenorum atris tenebris tecta sit, e summis tamen principiis naturae lucem quamquam extrahere licet, verum enim vero, si vis dynamica uberioris ponderetur; si sedes ejus et efficacia maxime in Systemate Nervorum stabiliri debeat, cur actio ejusdem in foetum usque derivari non posset? id quod in imaginatione circa producendos, et sanandos morbos non raro admiramus! ut igitur eliam e hoc visus puncto Reipublicae magna incubat cura. —



§. 8.

In eorum, quae dicta sunt, nexus, etiam Narratio, et lectio rerum horridarum a gravidis removeri debent. Quis nescit, quantas unicum saepe verbis in animo mutationes inducit, quae electrici ictus instar mox totum feriunt corpus? — Habet id praecipue apud gravidas locum, quae in hoc statu magna irritabilitate gaudent, et vel ab exiguis impressionibus ingentem exerunt reactionem corpori, mentique damna illaturam. Quid igitur sibi verba horrida potestatis in gravidas adrogent, sua sponte patet. En, quae veritatem produnt, exempla! mater filiae suae gridae, altomane sua gaudia deprompsit, hanc tam placide dormivisse; ut incendiis sub noctem orti inscia terroris poenam evaserit; — verum filia audita incendiis voce subito contremuit metrorrhagiam, et una abortum passa, id quod apud Svetonium legere licebit. Teste vero Unzero grida in menseni.

septimum perceptis de morte mariti sui litteris, animo linquitur, et in syncopen ruit — saluti redditam moerore gravem dein vixit vitam, et peperit puellam robustam ratione et loquela privatam, quae serius nec cibum capere, neque consuetas naturae necessitates absque aliorum ope, propter anaesthesiam, et impotentiam peragere poterat. Insuper primis et ultimis lunae phasibus insultum terroris pati debebat; totum corpus tremet, caput postrorsum rapilur oculis sursum versis; manus conculiuntur sub clamore anxi, pedes contorti sursum trahuntur, sed mox extensi deorsum rapiuntur; post aliquot minuta membrorum relaxatio, pallor, sudor frigidus; et vera Syncope sequebatur novis motibus brevi interrupta, Insultus repetitur, sed hic mitior est, et spuma ore expressa, excrementaque sponte ruentia, post viginti quatuor passionis eminentis horas finem ejusdem annunciant, et reipsa somno longo inseculo scena tota clauditur — Civitalis profectio intererit curare, ne horridae historiae Diariis pro matronis, aut Diariis popularibus, e quibus mox per omnium ora circumferuntur, et gravidis noxam inferre possunt, tam frequenter inserantur. —

§. 9.

Saluberrima Lex iam fere ubique lata est, qua severe prohibetur, ne Obstetrics, Pharmacopaei et Chirurgi, aliique profani talia porriganter remedia, quibus foetus expelli, imo mater quoque in periculum conjici potest: huc Emetica, Cathartica, Stimulantia, et Venae sectio praecipuam attentionem merentur. Sed vero virtus legis hujus nondum tanta est, ut non dico sancte stricteque, sed nec quidem laxè plurimis in locis observetur. — Quid quod in urbibus

nonnullis Anus de foro, talia pharmaca levissimo pre-
cio lapsis vendere non raro consueverit? et apud
Quaestores variarum materiarum, saepe etiam apud
Dardanarios an non omnia vilibus nummis hunc in
finem servitura, comparari possint? — Noscuntur in
obscuris quoque villis mulierculae, quae parvo lucro
impia consilia gravidis casu indere, et media ad
scopum necessaria dictare non verentur. Jam Hippo-
crates de morbis mulierum dum scribit, sic loquitur:
abortiones graviores sunt, quam partus; non enim
citra violentiam embrio corrumpitur, sive medica-
mento, sive polu, vel re alia quapiam. — Hoc in casu
periculum est uterum inflammari, ulcerari. — Et
certe non solum observationes nostro quoque aevo
ubique institutae, verum et ratio directe demonstrat,
noxium pro abortu adhibitorum remediorum influ-
xum. — Sic Emetica et Cathartica in ventriculo, et
intestinis ex indole sua motus spasticos concitare
debent, ad vicina quoque organa, ergo et uterum
per consensum propagalurus, an spasmi innoxii ma-
nebunt? sic, dum ita conitato motu turgor in utero
praeter normam augetur, hic nihil nocere sciet? sic,
dum in sequelam horum materia plastica e corpore
materno egeritur haec penuria nulla damna post se
trahet? ista profecto una cum pressione, quae foeti,
et cum debilitate, quae matri per vomitum inferun-
tur, huc numerari debent. Accedit stimulantium
virtus, quibus omnes functiones inducuntur, et expe-
diuntur, quibus igitur circulus humorum accelera-
tur, major conflictus inter vasa, et sanguinem surgit,
febris, et inflammatio producitur, atque sic nexus inter
placentam, et uterum facillime solvit, ac divellitur.
Denique Venaesectio ea ingentia damna, quod per
eam vel alimentum matri aequa, ac foeti directe sub-
trahatur, vel quod ut revulsus, ac derivatus in hoc iti-

nere foetum in utero inundet atque necet. Optandum est igitur, ut hoc objectum Respublica magnopere euret, et legem circa illud latam semper, et ubique in plenum deducat effectum.

§. 10.

Magnum emolumentum in Rempublicam sequitur quoad augendum Civium numerum, dum Obstetrics bene institutae publico stipendio aluntur, nam Obstetrics ignarae, necessariis graviditatis phoenomenis in lucem eruptis, haec statim pro abnormibus declarant, remedia commendant, quibuscum innocentia inscritia Morbum tollere velint, foetui, et matri labem inferunt saepe indelebilem. Summas praeterea noxas inferunt Obstetrics, quae dolores ad partum veros a spuriis distingvere non sciunt, quippe orificio uteri adhuc clauso, parum urgent, matris vires exhauriunt, fluxum sanguinis non raro lethalem producunt, foetum in angustias redigunt, huncque et malrem imperitia sua, et rudi manu dulcis poliant vita. Quid si perversus utero, aut foeti situs obtigerit, vel aliae calamitates obortae fuerint? an haec non egeant plena rei peritia? sed Mehercle! sicut publicae institui, ita quoque publice ali debent. Enimvero plurimae gravidae tantis aerumnis expositae gemunt, ut praestiti auxilii valorem, dum intime vellent, rependere non possint, atque sic vel sibi relictæ, vel rudibus manibus traditæ una cum prole, quam gerunt, supradictis malis coacto modo subjiciuntur. —

§. 11.

Propositis iis, quae honorem protectionem, commoditatem in locis publicis, remotionem item

spectaculorum, objectorum, narrationum, et lectionum horridarum, quae denique prohibitionem remediorum nocentium, et selectum Obstetricum relate ad gravidas concernunt, superest exitum quoque graviditatis, seu partum considerare, et quae hoc obtutu Reipublicae incumbunt sincere proponere. Postremum itaque Reipublicae munus erga gravides in eo consistet, ut erigat locum, quo gravidae pauperes et lapsae recipientur. Quid enim aequius, quam egenis, laboris inpotentibus, aut quibus labor perniciem struit, humanam ferre opem? Sane multae sunt mediis necessariis ita orbae, ut neque famem sedare, sed neque ea, quae partus depositit impendere queant. Hac sub rerum positione, et ante, et post partum laboribus adfligi, imo sub ipsa gravissima functione (partu) curis aterrимis obrui coguntur, quibus omnibus, et suae et foetus aut infantis vitae ruinam praematuram parant. Si statuta Marchionatus Badensis equas, postremis sex gestationis hebdomadis, atque totitem post partum, ab omni labore eximant, an homini non idem ac multo clarius competit decus? — Verum an lapsae etiam hunc mercantur favorem? neque dubium; vel enim pauperes sunt, vel divites, at suis excessae, in omni autem casu, eo seduci facilime possunt, ut, cum commode pariendi nulla spes adsilgeat, aut fortunam expellant praemature, aut infantem interficiant crudeli et occulta manu. Neque metus est, hoc modo occasionem plurimis datum irisaepius labendi, et castitatis legem evertendi; nam quibus vera moralitas inest, quae legem virtutis vere colunt, strenue custodiunt, quae honae famae et futurnae fortunae suae omni ex nervo student, hae simili instituto in scelus nunquam vocabuntur; quibus vero contraria principia, quacunque demum ratione instillata sunt, has neque esse, neque ab-

esse ejusmodi Instituti a lapsu arcebit. Praestat igitur matri, infanti, atque ita potius generi humano provide consulere, quam perdere infantem, et suppicio adficere matrem. —

§. 12.

Expositis breviter iis, quae Civitatis intersunt, aliud officiorum genus, quo medici obstringuntur, hoc loco attingemus. Multa quidem sunt medicorum officia, quibus erga Rempublicam, erga socios, sanos aegros, morti proximos ligantur, sed tamen graviter, et veluti cum quadam praelatione gravidis obstringuntur. Verum haec etiam officia una e dignissimis Medicinae partibus videlicet Obstetricia, satis abunde proponit, adeo, ut caeteris quae huc referenda essent praetermissis, ea solum, quibus maxima adtentio tribui meretur, hic exponenda veniant.

§. 13.

Multae mutationis molestiae vel negligi, vel obstetricibus tractandae relinquuntur, ut id exemplo gravidarum plurium, quae functionem hanc sine Medicorum influxu percurrunt, comprobari videamus; dum tamen momenta causalia, quibus abortus produci possit, in lucem emergerent, Medici ratio, et experientia in Consilium vocanda erunt, atque eo dirigenda, ut causae tam disponentes quam excitantes amoveri, aut si fieri nequiret, saltem abortu secuto, aut foetu, intra uteri limites perempto, mater periculo eripi valeat. —

§. 14.

Inter causas, quae ad abortum disponunt, universales, vel topicae, eaeque tam dynamicae, quam

materiales corporis, ad tensionem depositum. Universalibus tribuitur sanguinis copia, vel inopia ejus acris, aut tenuis indoles; debilitas universalis, laxitas compagis totius, irritabilitas exaltata — Ad topicas referuntur uteri debilitas, laxitas, rigiditas, nimia irritabilitas, aliaque vitia conceptionem tamen non impedientia; ut vero horum altiorum quoque rationem reddamus, e re videtur, singula uberioris aequa contemplari, atque reddere clariora. —

§. 15.

Sanguinis copia ultra normam aucta, vasa omnia nimium distendi in aperto est; an hoc modo debitum fluxus sanguinis non impediatur? an congestionibus hic suus locus denegari possit? ita profecto vasorum placentae quoque vires, congesto sanguine obruuntur, mutuum commercium inter hunc et illa turbatur, atque sic facili negotio, nexus immediato placentae cum utero soluto, sanguinis fluxus, atque demum abortus consequitur. Contra sanguinis inopia, ejusque, tenuis et acris indoles, neque ad normam corporis vivi servandam sufficiunt; sed neque satis idonea sunt, idcirco imbecillem solidorum structuram, atque debiliorem partium nexum, velut totidem abortui faventes conditiones inde oriri necesse est. — Eadem, ratione obest laxitas, et debilitas universalis; uts-pote quibus et vis motrix imbecillitatis labe nolata, et vis cohaesionis ad inferiorem potentiam depresso sanguini per vas ruenti cito cedunt, et nexus adeo necessarium, iterum tolli ciunt. Exaltata denique irritabilitate nimius motus in corpore oriri, atque eo quiescens et remitti nescius foetus facile exturbari potest.

§. 16.

Dum vero supradicta vitia topica, systema ute-
rinum, aut partes ejus vicinas adfligentia apud gravi-
das occurunt, his longe gravius adhuc miserum foet-
um quassari oportebit. Debilitas uteri foeti sustinendo
impar est, qui idcirco exterminandus est. — Laxitas
eiusdem nexum ob humorum majorem adfluxum, cum
placenta diu fovere non potest. — Rigiditas cum
foetus incremento luctatur, et quia uterus formam
suam secundum desideria foetus mutare non potest,
hunc praemature extra corpus matris urgeri necessum
erit. — Nimia uteri irritabilitas foetum, qui mole,
et indole eandem semper exacuit, intra sui limites
non ad debitum usque terminum patietur. — Scir-
rhus, aut aliud vitium organicum eadem ratione, ac
rigiditas, et nimia irritabilitas noxas exercebunt, at-
que hinc partim se non distendendi, partim foetum
perferre nequeundo, eundem neci tradunt.

Sunt alia denique adhuc vitia organica utero vici-
na, uti tumores, aut indurations organorum in ab-
domine reconditorum, angustiae pelvis, quibus omnibus
uteri parietum intensitas vetatur, volumen, incre-
mento foetus conveniens impeditur, atque sic utero
gestum corpus, prius, ac oporteat, exterminatur.

§. 17.

Uno momento causali proposito ad aliud, videli-
licet ad causas excitantes transgrediendum est. Quam-
quam enim hae Medico omni notae esse debeant, et
officia Medici hic adducere superfluum esse videatur,
ob arctum tamen materiae hujus nexus praeteriri
nequaquam potuerunt. Aptior tamen locus pluribus
causis excitantibus ibi assignandus esse videtur, ubi

de officiis gravidarum erga se ipsas expositurus sum, nam hae ejus sunt indolis, ut medicis tantum profrendae, gravidis autem strictissime observandae incumbant. Sunt tamen nonnullae nisi prudentia, et solertia Medici avertendae: ulti vitia primarum viarum, vomitus violentus, tenesmus, dysenteria, febris, orgasmus, convulsiones, spasmi, atque nevrosium caeterarum integra caterva.

§. 18.

Dispositione pro virili, ubi licet, apud Gravidas immutata, atque causis abortum excitare potentibus remotis, foetus feliciter ad partum usque provehetur. Sed ubi Natura, et Ars misero succurrere nullatenus valebunt, ille peribit, atque tunc summa Medici cura eo convertetur, ut quam eitissime corpus matris eodem liberet, hancque salvam omni ex nervo servare studeat. Quid, quomodo, quando in dictis omnibus agendum sit, vastissimus Medicinae campus uberius dicit.

§. 19.

Tertium officiorum genus gravidas ipsas concer-
nit: Caterva majorum saepe gravidas, et foetum ferit, quam illae sibi proprio vitio, neglectis omnibus in hoc statu vivendi legibus, contrahunt, atque sic abortibus, horumque sequelis insignem praebent occasionem. — Idcirco miramur illicita gravidarum opera non raro, et illas obligationum suarum leviter obliuisci merito querimur. — Neque hic invehi acriter in sexum gratia, et dignitate plenum, sed solum commemorare volo, jam priscis temporibus exstisisse tales, hodieque existere, quas non malitia, sed levitas animi ad negligenda ejusmodi officia sat celeriter abripit,

id quod neque Ovidii adtentionem fugit, dum canit:
 Nunc uterum vitiat, quae vult formosa videri, Rara-
 que in hoc aevo est, quae velit esse parens. — Sae-
 pe, suos utero quae necat, ipsa perit. — Haec
 mehercle! nec ipsae ferae bestiae patrant, eo minus
 homo, lumine rationis praeditus patret, necesse est.
 Itaque.

§. 20.


Cum universim quoad vitam recte tuendam,
 omnia, quae modum excedunt, eidem noxia sint; vitan-
 dus est gravidis nimius corporis motus. Exulet igitur,
 sidere ardente omnis vehemens commotio, id quod
 praecipue de debilibus, et plethoricis valet; exulent la-
 bores duri, diutius peragi soliti, exulet denique sal-
 tus, equitatio, per strata viarum lapidea curru vectio,
 verbo omne nimium activi, et passivi motus genus.
 Verum enimvero, licet motus inoderatus praecipuum
 servanda sanitatis fulcrum constituat, ultra justos
 tamen limites protractus majores noxas non inferre
 non potest. Uterus gravidas mole sua, organa vicina
 premit, circulum humorum in iis impedit, quod ipsum
 ad extremitates quoque inferiores extenditur, sicque
 turbas inde nasci debere sat manifestum est; his igi-
 tur ex momentis moderatus motus, quo cordis actio
 adjuvetur, et ita circulatio debite expediatur, tantum
 abest, ut prohibeatur; ut potius impense, ac sollicite
 svadendus sit. Contra vero motus immoderatus cir-
 culum humorum nimium auget, majorem inter eos,
 et vasa conflictum concitat, hinc intenditur calor ani-
 malis, et ita principium expansivum in lucem emergit:
 an hoc modo fortis unda sanguinis uterum violente
 ferire, an foetui vim inferre placentae cum utero
 nexum sensim tollere, et ita haemorrhagiam, abor-

tumque producere non poterit? sed his quoque non secutis alia mala, aequa gravia, ut: obliquus uteri situs, prolapsus, hernia, variae foetus affectiones, praesertim e motu fortiori, qui simul corpus concutit, oriri non raro solent. Elucet hinc una, quantum conferre possint malae conscientiae mulieres ad abortum, si aliis mediis careant, per susceptos hujusmodi motus, in primis per labores cum motu coniunctos procurandum, et foetum necandum.

§. 21.

Alius moderati motus hostis quies nimia est: jam ob continuum uteri incrementum, circulus humorum non penitus normae conformiter agitur — si vero accedat nimia sedendi libido, thorace antrorsum flexo, si una lectio librorum, nexio, acu phrygia punctio aut cujuscunque laboris levioris perfectio, si et usus thoracum sub hocce situ, locum habeat, ingentia inde damna sequi easta adnotavit experientia; Gravidae ruri colendo natae minus periculi e neglecta quiete metuendum habent; at quibus fortuna sublime cessit genus, quibus divitiae congestae, quibus in urbe modus vivendi, ac degendi obtigit, et quibus idecirco labor moderatus e praejudicio derogat, has multae feriunt noxae. Nam viscera cum utero comprimuntur, quo et vasa comprimi, et motum humorum retineri, et praecipue redditum eorum ex inferioribus extremitatibus impediri necesse est, Verum neque functiones viscerum sine laesione manent: sic retardatur, aut retinetur motus bilis, chyli paratio pervertitur, absorptio turbatur, secretiones, et excretiones praecipue alvi, et urinae langvent, atque ita corpus humoribus ad resarcendam materiam organica non idoneis, materiisque peregrinis nimiopere

scatet, quod totum non aliud, quam Arthritis, hydrops, icterus, alvi suppressio aut retentio, ischuria, infractus viscerum, aliaque mala, serius, ocyus consequi debet. Neque mater tantum, sed et foetus iuit: foetus humoribus maternis nutritur, humores apud matrem lentius moti, nisi valde lente per miras placentae vias ad foetum deferri possunt; humores matris male elaborati nil nisi notam imbecillitatis, poenam futurae sortis foetui imprimere possunt; et quae mala ute-rum premunt, uti nunc recensita, haec certo foetui non parcent, sed eundem ad deserendum domicilium suum vehementer urgebunt, et quia uterus nondum debitum tenet situm, quia vagina compressa est, egredi cominode impotens in itinere suo interficietur. Itaque universae quidem, sed in primis constitutione laxa praeditae, et anomaliis alvi obnoxiae dignentur nimiam vitare quietem.



Legem quoad motum juste, ac moderate exercendum, excipit alia, qua cibi, et potus praescribitur usus. Cibi nimia copia ingesti, cibi indolis malae, praecipue difficulter digerendi vitia primarum viarum provocant, haec adpetitum destruunt, vomitum, diarrhoeam, tormina post se trahunt, gastritidem, febrim gastricam excoitant, et fluxum sanguinis in utero eliciunt perquam frequenter. Potus autem praesertim Thea, Coffea fortis, vinum, aliquo spiritu graves exacuant humores maternos, calefaciunt, rerefaciunt, atque ita circulationem, et respirationem vehementer propellunt; unde fit ut febris inflammatoria, vel topica uteri inflammatio, fluxus sanguinis uteri cum saepe tristi exitu sequi soleant. Hic ad facta adpollo: in Hollandia, ut Haenius testatur, po-

tibus theatris inductis abortus rapidum cepit incrementum; et infans uberibus ebriae nutricis lactatus in horridas functionum suarum turbas, quod non raro observare fas est, cum periculo vitae conjicitur. Roma, et Carthago contra ebrios poenam statuit, et faeminae potae in jus vocatae, atque post partum poena adulterii, et fornicationis adfictae fuere. Etsi igitur nonnullae gravidae ratione cibi, et potus in miris ruant excessus, ut non tantum nulla labe notentur, sed tam ipsae, quam foetus felicissimam nanciscantur sortem; neque tamen se his exemplis omnes deludi sinant gravidae, sed bene noverint similes actiones ideo potius in lucem emergere, ut vitia corporis occulta naturae autocratis convellanturn, et vivum gerens, gestumque salvum servetur. Caveant igitur gravidae cibum, potumque, copia et indole per verso modo sumere, velim.

§. 23.

Relationes hominis variae, varium quoque vestitus genus eligunt: neque quis tam pertinax erit, ut eandem, quam rigida hyeme, fervidis etiam aestatis geramus pelleam vestem. Id utinam utero gradio benedictae omnes agnoscere vellent foeminae! sed quo virgines olim usae, eodem gravidae quoque in sui foetusque ruinam, et suminum Matrumfamilias dedecus uti vestitu plusquam desiderant, studio servanda vel mentienda, quae virginibus competit, formae. Ideo non tantum thoraces, toti etiam sexui noxias, non reponunt, sed insuper firmis fulcris prominentem ventrem reprimere, circulis item ferreis, aut de balaenae ossibus factis eundem cingere vane noverunt. Sed vero foetus mole crescit, antrorum, sursumque fertur, atque ideo ventrem extendit,

organaque sibi vicina premit, in functione sua impedit: an, sub hac rerum positione vestes thoracis, et ventris non sint relaxandae? an potius stringendae? Ita spasmis corripitur uterus, accenditur, ad latera cogitur, atque suo justo debitoque situ turbatur, ut non raro abortus vanitati obsequia ferre debuerit; verum secus etiam foetus usque parvum servatus contusionibus, formae deflexibus, et vitiis organicis notatus in lucem saepe prodit, ut potius paratos ferat, quam contrahat, in hac vita morbos. Sexus alter in Syria nunquam thoracibus vincitur, et ideo maximus partium numerus facile peragitur.

Multae leguntur historiae in scriptis medicorum, e quibus elucet abortus frequenter, sine mensium discrimine, quos graviditas percurrit, a nixibus ortos, atque gravidis non innoxios fuisse. Sub nixu enim, qui species respirationis est, aer inspiratus, rima glottidis clausa, pulmonibus coercetur, diaphragma dehiscit, et figitur, musculi abdominales imperio voluntatis aequae contrahuntur; hac ratione cavum abdominis coarctatur, organaque ibidem contenta premuntur, praे reliquis uterus, vesica urinaria, et intestinum rectum, quia directius diaphragmati ob-jacent; ideo sub expulsione foetus, sub excretione urinae, et alvi, nixibus opus est ad relaxandos sphincteres, et vias aperiendas. Patet hinc nixum in uterum semper agere, qui vero dum a voluntate multum dependeat, debiles, et plethoricae a nixibus abstineant, ne repetita pressione uteri, idem exacerbatus ingenti copia sanguinis matrem, et vita immediate foetum spoliet.

§. 25.

Magnam postremo stragem utero gravido infert coitus et vehementes animi motus: et quamvis potentiae nocentes innumerae sint, quibus universae sanitati hominis insidiae struantur, quaeve substantis circumstantiis huc quoque applicari possent, non tamen specimen meum ejus est indolis, ut omnes exhauriat; — sed proponit duntaxat eas, quae maxime obviae hunc sibi vindicent locum, et naturam officiorum gravidis perquam servandorum clare praeseferant. Itaque periculis e commotione animi vehementi ad sequentem paragraphum relegatis, hic noxas e coitu secuturas primo et distincte proponemus. Uterus, ut pluries dictum, sub graviditate, forma, situ, volumine mutatur, pluribus perrepitur vasis, inde sanguine continuo magis inundatur, sensilitas, et irritabilitas ejusdem augetur, — Si omnibus his coitum adhuc addas, congestio mox increscat, et calor animalis intenderetur, sola ratione dynamica, a Psyche derivanda; sed hunc statum augent rationes pariter mechanicae, nempe venter gravidae premitur, uterus repetitis vicibus penis actione fricatur, quibus magis turgere, spasmis corripi, adteri, vasa parva obstrui, imo saepe rumpi, sanguis densus, ater evadere debet. — Hinc vero stagnatio, extravasata, hydatides uterinae aquae spuriae prosluvia, inflammationes, gangraena, suppuratio, scirrhos, febris puerperalis, et alia suam originem ducent. Si porro abortus non fuerit seculus, tunc vel monstra nascuntur, vel foetus mortuus, aut cito moriturus gignitur, aut cui vivere licet, hic debilis, fatuusque suum terrestrem emetietur cursum. Si conjuges omnes hujus rei gravitatem solerti, lubentiusque per-

spicere vellent, magnus abortuum numerus e gravidarum regno exuleret.

Utinam homo, lumine rationis praeditus, et ideo nulli certo tempori ad venerem exercendam, ut reliqua animalia physice adligatus, hoc naturae Jus, eodem rationis lumine in usum suum trahere, et nisi sub iis rerum adjunctis, ubi neque propriae, neque alienae vitiae strages inferri potest, cum suo sexu coire sciret, et vellet! Vix enim enti novo vitam tribuere parentes, et vix e germine suo egreditur, jam illud effreni voluptate interficeretur pergit. En verba cel. Klinkosch in Programmate de hydrocephalo foetus rariore: „Novi virum nobilissimum duas charas in principiis puerperii successive amisisse uxores, qui consilii obstetrici cis inductus, ad partum facilitandum, viasque lubricandas vires suas insumisit ultimo graviditatis tempore“ item: „secui cadaver puerperae hysteride demortua, cuius maritus amare retulit, eam semper sanam vixisse, binarum prolium matrem fuisse, ab ultimo vero coitu duabus ante partum diebus acto, doloribus summis, ac tensione ventris, febri, haemorrhagia uteri correptam fuisse; foetum, quem paulo ante sentiebat vivum, exclusisse mortuum octavo gestationis mense, et tertia a portu die signis inflammationis uterinae praecedentibus, subito periisse. Alii faeminae sanae, quae jam quinques abortum passa est, et cui nullis artis praesidiis dispositionem ad abortum corrigere potui, cum de salacitate ejus, et mariti bene gnarus essem, consului, ut simul ac de conceptu facto tantum suspiceretur, toto reliquo graviditatis tempore, remota viveret a marito. Consentiente marito hocce consilium sequens, reiteratis vicibus foecundata nunc tertium jam exclusit

foetum, robustum, in totius familiae solatum. Idcirco non tantum leges Canonicæ gravidas a praestando conjugali debito dispensant, sed etiam plures gentes legem tulere, ne utero foeto mulieres cum maritis congregiantur. Sic apud Haebreos vetitum fuit vel conversari cum muliere benedicta; in Nigritia conversatio talis aequum summum scelus; populi inter Sieira, Leone, et Sestro fluvios degentes magnae subjacent poenae, si gravida cum marito habitare auderet, et solus gridae contactus jam summum scelus. Consulite vobis igitur gridae et quamdiu fructum utero geritis, tamdiu cum Viris commercium sovere nolite.

§. 26.

Superest quoad vitam etiam psychicam postremam adhuc adducere legem. Amicum foedus animi cum corpore tantum est, ut alterum sine altero in hac terra vivum consistere nullo modo possit; mutuus eorum influxus in sano aequo, ac aegro statu ita rudi etiam ingenio cognosci potest; ut, quin vim argumentorum concentrare necesse sit, ex solis castis observationibus veritas eruatur. — Tam grati, quam ingrati, tam exaltantes, quam deprimentes animi affectus variam in omne corpus actionem exserunt, sed apud gridas omnes tamen in illud conspirant malum, ut spasmis aut inflammatione, fluxuque sanguinis uterini provocatis matrem, et foetum simul aut alterutrum tantum in perniciem abripiant. Maximum vero influxum exercent ira, atque terror; illae profecto, quibus irascendi ratio altera natura est, quae tempus et locum tricandi saepe sponte quaerunt, aut nimis irritabiles, sensiferae, vel debiles sunt, hos ingratus

adfectus in primis vitandos habebunt. Exemplo sint verba cel. van Swieten: „Faemina triginta annorum, robusta, et procerae staturalae, cum termino graviditatis proxima esset, subito excandescit ira, dum vicina mulier puerum ejus quinquennem percuteret. Mox aliquid insoliti sentiens in corpore praedixit se inde morituram. Post aliquot dies subito profusa uteri haemorrhagia sequitur, unde convulsa periit, antequam quid tentari posset, ut servaretur. In cadavere inveniebantur bini foetus masculi, sanguine nigro, coagulato tecti. Et alibi: „sic uxor in nonum mensem“ gravida, ob incensam vicinam domum territa, adeo gravi epilepsia correpta est, ut intra duodecim horas, saepius repetitis insultibus una cum foetu exspiraret. Vitent ergo nimias animi commotiones gravidae, vitentque socii homines, ne in iis quacunque ratione vehementes excitent adfectus, praesertim deprimentes. Nam hi in genere miserum, quem premunt, furiae adinstar prosequuntur, ut sompnum, cibum, amicum, et omnes fugiat vitae delicias, neque quietem inveniat prius, donec exhausto penitus vitae fonte tandem letheis sopiatur undis.

§. 27,

Ex his omnibus patet omnia circa gravidas officia eo unice tendere, ut potentiae nocentes ab iis avertantur. Utinam non tantum Republica, Medici, et ipsae gravidae, sed et singuli socii homines amore vero, et reverentia erga eas incensi haec officia suae imprimenter conscientiae.

F o n t e s.

Hippocrates. De mulier. Morbis. L. 1.
C. 71. t. 7. p. 771.

Bartholin. De puerperio pag. 20.

Ballexerd. Abhandlung über die Frage:
Welches sind die vornehmsten Ursachen des
Todes so vieler Kinder? S. 16. 17.

Festus. De Verborum significatione
Lib XII.

Majmonid. De Cibis vetitis c. 14, m.
p. 242. 3.

Gvev. hor. p. lib. II. c. 16.

Decret. 28. Martii 1737. Dufail lib. 3.
Chap. 401.

Bellica Stat. pro Belg. Art: 4.

Exodi Cap. 21. v. 22.

Hebenstreit. Anthropol. Forens. Sect.
1. Cap. 1. p. 12.

Byidon. Reise durch Sicilien und Maltha
2. Th. S. 52.

Sieten. Com. §. 1306.

Zückert. Diaet der Schwangeren.

Baumer. Fundamenta politicae Medicae
C. II. p. 100.

Tertul. in Apologetico. Cap. 9.

Haller. Prim. Lin. Phys. §. 564.

Bayer. Diss. de Animi affectionibus
Viennae.

Boerhave Aphorism. de cognosc, et cu-
rand. Morb. §. 1306.

Hoffmann. Med. rat. Syst. T. 2. pag. 159.

Gorter. Prax. Med. Syst. N. 439. X.

Osterdykschacht. Inst. Med. pract. L.
X. C. 2.

Müller Pet. Tractat. jurid. de Jure
praegnat.

Plutarch. in Human.

M. Cato. Noct. attic. L. X. c. 23. p. 312.

Klinkosch. Program de hydroc. foet.
rariore. Ph. C. Hartman Path. gen. et Glückse-
ligkeitslehre pag. 211.



T h e s s.

1. Natura instinctus in animalibus ab eorundem intellectu probe distingendum.
2. Pili sunt organon Respirationis.
3. Natura morbi non sensuum, sed rationis Objectum est.
4. Malaria non sunt contagiosa.
5. Imaginatio materna potest in foetum agere.
6. In societate civili ministri partus necessarii.
7. Sanatio visus aboliti jam satis medicinae valorem demonstrat.